

1557

*Alexander  
Vicecomes  
transitum  
Germanorum  
militum per  
Reipublicæ  
fines obti-  
net.*

*Senatus  
Cosmo Flo-  
rentiæ Duci  
Germanorum  
militum  
transitum  
concedit.  
Helvetiis a  
Pontificiis  
delectis  
transitus a  
Venetis con-  
cessus.*

*Veneti nu-  
merum mili-  
tum augent.*

*Thomas  
Contarenus  
legatus cum  
imperio in  
continenti  
eligitur.*

lis animadverterent . Itaque quod in re præfenti poterant , equitatum comparabant , pedites Italos cogeabant . Cum in militibus Hispanis , atque Germanis , qui in oppidis erant , seditione militari tactis , castrorum disciplina , atque erga duces obedientia elanguisset , novos in Germania delectus haberi Philippus jufferat . Madrutius vero , atque Aternus , quo expeditiori itinere milites uterentur , Alexandrum Vicecomitem Venetiās misere , qui cum Varga legato per Reipublicæ fines transeundi octo Germanorum peditum millibus , mille ac ducentis equitibus , trecentisque jumentis ad subvehenda tormenta facultatem peteret ; quæ ultro a Senatu concessa est . Cosmus quoque , Florentiæ Dux , quod latos cum pontificiis ditionibus fines haberet , Gallorumque arma vereretur , majoribus præfidiis res suas egere ratus , quatuor peditum millibus , ac quadringentis cataphractis equitibus e Germania accersitis , copiam per Venetas ditiones itineris faciundi a Patribus impetravit . Cumque per eos dies Gallos equites in Italiam per Rhatos in Camonicam vallem , quæ Veneti imperii est , venturos nuntiaretur , Brixiae , ac Bergomi magistratibus , quæ in ea re voluntas Senatus esset , poscentibus , aditum iis liberum permitti jussum : neque enim Senatui , in neutram partem propendenti , iis intercludi itinera e republica esse videbatur . At Paulus , quod suis hostibus per Reipublicæ fines iter Veneti permisissent , moleste adeo tulisse visus est , ut per aliquot dies Bernardum Naugerium legatum admittere noluerit , quem mox , animi repentino impetu , ac veluti ardore restincto , perhumaniter excepit ; ac deinde per Commendonum Episcopum quatuor Helvetiorum millibus transitum petenti satis a Senatu factum est . Dum vero arma , ac milites tota Italia cogerentur , ut suis rebus Senatus confuleret , peditatum , atque cataphractorum equitatum augeri , trecentis ac triginta levioris armaturæ equitibus , centum ac quinquaginta adjici , qui numerum quingentorum conficerent , decrevit ; centum aureorum millibus in ærarium congestis , ut urbes , atque oppida munitiora redderentur , sancivit . Legatus summa cum auctoritate Thomas Contarenus in continentem missus , ne detrimenti aliquid Respublica caperet , sedulo prospicere , ac curare jussus .

Jam